

Die Urkunden Lothars II., 13

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina
praeveniente clementia rex. Novimus religione christianitatis imbuti, quod omnia, quae ex
facultatibus nostris ob onorem et reverentiam gloriosorum martyrum sacris conferimus
locis, ad sempiternam pertinere beatitudinem eorumque piis interventionibus nos in
praesenti seculo suffragari et a propriis absolvi delictis minime dubitamus. Comperiat
itaque omnium sanctae dei ecclesiae fidelium ac nostrorum praesentium videlicet
futurorumque industria, quia Uuerimundus fidelis excellentiae nostrarae ministerialis nec non
et Deodatus monachus et archicustos ecclesiae sancti Dionysii, ubi idem inclytus martyr
Christi corpore veneratur ac Hludouicus dilectus consanguineus noster abba et rector esse
videtur, imploraverunt sublimitatem nostram, quatinus eidem ecclesiae ac beato Dionysio
aliquantulum ex rebus nostrarae proprietatis ad luminaria ipsius procuranda more solito per
praeceptum magnitudinis nostrarae roboratum concederemus in proprium. Nos igitur
saluberrimis implorationibus illorum assensum culminis nostri prebentes hos regiae
dignitatis imperavimus apices fieri, per quos sancto et gloriosissimo Dionysio martyri seu
venerabili loco, quo idem conditus habetur, in pago nuncupante Fanomartinse super
fluvium qui vocatur Scaltus mansum unum ex fisco nostro Ualentianas, quem Ualentinus
nomine fiscalinus ad deserviendum possidet, ipsumque cum uxore sua et infantibus illorum
ob amorem omnipotentis dei ac beatissimi Dionysii reverentiam seu emolumentum animae
nostrarae ad proprium largimur iure perpetuali inibi mansurum ac de iure nostro et
dominatione in potestatem ipsius loci tradimus atque transfundimus, quatinus per hoc
eminentiae nostrarae praeceptum praescriptae res et mancipia ad iam fata luminaria ecclesia
beati Dionysii perpetuis teneat atque possideat temporibus faciatque iure proprietario
quicquid elegerit vel voluerit deinceps sine cuiuslibet inquietudine aut repetitione.
Teloneum insuper ex iam dicto manso cum rivatico suo concedimus, ut exinde ex dominio
memoratae ecclesiae sancti Dionysii sive congregationis inibi deo regulariter famulantis
nullatenus teloneum a quolibet exigatur. Et ut haec nostrarae largitionis concessionisve
auctoritas futuris temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter
firmavimus et anuli nostri impressione iussimus assignari.

Signum (MF.) Hlotharii gloriosi regis.

(C.) Ercamboldus regiae dignitatis cancellarius recognovi et (SR. NT.: *Ercambaldus
notarius recognovi et subscripsi; ipse senior fieri iussit*) (SI.) Data VII kld. februarii anno
Christo propitio regni domini Hlotharii gloriosi regis V, inductione VIII; actum Ualentianas
palatio regio; in dei nomine feliciter amen (NT.: amen.) AMHN.